

petebat, ut Germanis iter per Veronensium fines facere permitteret, id summi beneficii loco a Republica accepturum. Caroli postulatis Senatus decreto ita responsum: Omnibus semper benevolentiae, ac observantiae officiis Rempublicam Caesarem prosequutam esse; quod iis, quae nunc petantur, assentiri nequeat, vehementer angi, propensae voluntati foedus obfistere, quod jurejurando cum Gallorum Rege pepigisset; infringendum haud dubio, si Germanos per Venetorum fines transire sineret: Caesarem summopere exorare, ut qui status Reipublicae Christianae, quorsum diffidia haec sint evasura, singulari prudentia expenderet; ne virus hoc in omnia Reipublicae Christianae membra diffundatur, prospiceret; pietatis, & magni animi sui esse omnes cogitationes, & curas in Reipublicae Christianae pace defigere. Ita Senatus decreto Caesari responsum. Interea quamquam ratione Germanis militibus, si per Veronensem agrum transire velint, obsistendum esset, consulitur: plerisque id nullo modo fieri posse, vel adituum multitudine, vel regionis latitudine contenditibus: Triultio licet difficultates inspicienti, conari nihilominus aliquid placebat; praecipuos in Veronensium fines ingressus summa diligentia custodiri; ac, si majoris aliquid momenti conficiendum foret, inter Pischeriam, & Lonatum munitionem erigi, qua situs opportunitate transitum Germanis pracludi posse sibi persuaserat. Verum, vel temporis angustia, vel immutatis Lautrechii consiliis, res ad exitum perducere non potuit, nonnullis tantum locis ad hostes aditu prohibendos custodiae adhibitae, atque iis praesertim, e quibus facilius ingressus esset futurus, ad Croariam nempe, Gavardum, & Clusam inter montium fauces sitam arcem, quam amnis Athesis praeterlabitur, in quo catenam transversam duxere. Interim vero Lautrechio petente, ut copiae Venetae cum Gallicis jungerentur, quamquam moleste ferret Senatus exercitum a suis finibus discedere, ne militum incursionibus agri diriperentur, tamen ne foederi deesset, in Cremonenses copias duci assensus est; instante vero Lautrechio, ut Padum trajicerent, legato praecipitur, ut si ita in rem esse censeret, ultra Padum nostros cum Gallis jungeret.

*Triultii consilia de munitione prope Lonatum erigenda.*

*Cesareani Parmam aggrediuntur.*

Interea Germani milites, nostris elusis, per montium aspera, ac confragosos saltus cum ad Baldi montis radices accesserant,